

Nos Ioannes Mocenigo Dei gratia Dux Venetiarum etc. Commitimus et in mandatis damus tibi nobili viro et dilecto civi nostro, Sebastiano Baduario militi, quod eas orator noster ad seren<sup>num</sup> D. Imperatorem, descendendo ex Portunaonis simul cum rev<sup>do</sup> domino episcopo Forliviensi pro maiori reputatione et securitate et faciendo illa itinera quae sua rev<sup>da</sup> paternitas iudicaverit meliora et tutiora, non transeundo ullo modo per Villaicum quoniam Cesarea Maiestas scribit illud iter esse periculosum sicuti a prefato oratore intelliges.

In hac autem tua profectione ubicumque contigerit te esse cum aliquo domino et comunitate, curabis quanto particularius et melius poteris notam unicuique facere apertam iusticiam nostram maximamque dehonestatem Pontificis et declarare quomodo gubernatur impre-sentiarum Ecclesia Dei, excitando omnes quantum in te fuerit non solum ad optandum, verum etiam ad omni studio procurandum neces-sariam eiusdem Ecclesie Dei reformationem scienti in tua virtute et prudentia confidimus. Appulsus Cesaream Maiestatem adibis eius presentiam, quam sub litteris nostris credentialibus visitabis eique nos et universum senatum nostrum commendabis ut devotos et observantes filios qui semper fuimus, sumus futurique sumus sue Maiestatis. Et postquam cum reverenti et accomodata forma verborum gratulatus fueris nomine nostro de salute ac prosperitate eius persone a nobis omni affectu animi optata deque pace inter eius ill<sup>num</sup> natum et ser<sup>num</sup> Francorum regem inita ac foelici coniugio contracto inter eorum ill<sup>mos</sup> filios ac denique de omni sua rerumque suarum foelicitate, re-censemus vetustissimam amicitiam et synceram benivolentiam qua semper cum exc<sup>ma</sup> domo eius Austrie et cum ill<sup>mis</sup> suis progenitoribus fuimus iuncti et presertim singularem devotionem et observan-tiam qua semper sumus prosecuti suam imperiale Celsitudinem amplitudinis et glorie cuius omnisque sui commodi non secus ac proprii nostri status nonnunquam fuimus et magis quam unquam im-presentia sumus cupidi et studiosi, prout pluribus periculis illa cognoscere potuit, in qua quidem significatione et expressione quo fueris copiosior, eo magis nobis satisfactum iri puta, et quemadmodum af-firmabis huiusmodi amicitiam et affectuosam benivolentiam quotidie magis in nobis augeri, ita suam Cesaream Maiestatem in illa edificare atque edificatam tenere quam studiose conaberis.

Preterea gratias ingentes ages sue imperiali Maiestati ob desti-nationem ad nos r<sup>di</sup> d. episcopi Forliviensis sui legati viri profecto gravis et integerrimi ac de eius Maiestate optime meriti, sed inge-niores quoque ages pro amplis mandatis eidem oratori datis, ut omnia faceret que honori et commodo nostri dominii conducerent, argumen-tum sane paterne sue M<sup>ts</sup> in nos charitatis et dilectionis, ex quo magis adhuc merito illi obnoxii sumus.

Deinde gratias ages quo tam liberaliter et paterne nobis signi-ficari fecerit per ipsum dignissimum oratorem, eius Cesaream Maie-statem esse liberam, quodque libenter illa foedere et intelligentia no-